

Ad Municipia gradum facimus. Ex eodem Flore, qui Auctores, quos recitabimus, adnumerat, habemus, Romanorum Municipium. I. fuisse Cofam; testes producuntur C. Vellejus Paterculus lib. 1. Cicero in Verrem lib. 7. Barrius lib. 5. f. 445. Marafioti lib. 4. c. 25. II. Petiliam fuisse pariter Romanorum Municipium, scribunt Barrius lib. 4. f. 305. Marafioti lib. 3. cap. 22. III. Rhegium fuisse identidem, testantur Nonnius Marcellus, Pitifus, Festus Pompejus, Paterculus lib. 1. Cicero in Verrem lib. 6. & Philippicarum 1. Barrius lib. 1. f. 198. Marafioti lib. 1. c. 12. IV. Turium quoque inter Municipia adnumeratum volunt Marafioti lib. 4. c. 7., quod traxisse asserit ex Cæsaris Commentariis lib. 3. V. Hipponium, seu Valentiam denique Municipium fuisse, ex Cicerone in Verrem constare asserit Flore; quod probat ex Barrio lib. 2. f. 144., & ex Marafioti lib. 2. c. 20.

Quæ quum ita fuerint, merito Barrius adfirmavit, supra cæteras Italiæ Provincias, in majori numero Provincias hæc nostras Romanorum Colonias, & Municipia, recepisse. Quod cunctis gentibus argumenti loco erit, aut Brutiam Terram supra cæteras Romano Populo fuisse gratiorem, aut Brutia Genti plusquam aliis Romanorum Populum fuisse acceptum. *Quin etiam Romani, ait Barrius lib. 1. f. 51. multas Colonias in Calabriam deduxere, quot in nullam aliam regionem deductæ sunt.*

Inter Brutios quoque fœderatas Civitates fuisse, Auctores non pauci, nec parvæ etiam auctoritatis, testantur. Tiberim adnumerant quidam, Palestriam, Neapolim, Veliam, Heracleam, & Consentiam ultimo loco ponunt. Apud Dominicum Martyre in M. S. citantur Panvinius, Ferrarius, & Capaccius.

Alii